


05

A

2270





52

Q. D. B. V.

De

VISIONE

Disputabunt publicè

PRÆSES

M. FRANCISCUS POLKKE

&

RESPONDENS

DANIEL WITTEBERG

Vratislav. Siles.

Ad D. 24. Septembr. Anni 1670.

Horis pomerid:

In Auditorio veteri.

Typis MICHAELIS MEYERI,

Witteberg



VLSI ONE

M. FRANKSCHLAGER



05 A 2270





ΑΨΕΥ ΗΓΓΟΙΜΙΣ.

§. I.

Quanquam non sine gravissimo iudicio monere soleanr *Philosophi*, quæstionem de τὸ ὄν ἐστι, an sit res, præmittendam esse quæstioni τί ἐστ, quid res sit, ut sc. prius de ipsius rei certitudine seu existentia, quam de eius essentia solliciti simus: quod si enim de illa non constet, nec de hâc aliquid certi concludere poterimus: attamen nulli desperamus, nos veniam impetraturos, ut neglecto hoc monito, nos statim ad ipsam definitionem visionis acceleremus, explicaturi ejus essentiam atq; quidditatem, adeoq; non prolixè disputemus de existentia, cum eandem non nisi cæcus in dubium vocare poterit: essentia vero rei non meliùs cognoscitur, quam per definitionem, quoniam secundum *Aristotel.* lib. 2. post: *Analyt. cap. 3. §. 7. ἐπισμὸς ἐστ τῆς ὁσίας γνωρισμὸς.*

§. II.

Definitio igitur Visionis talis esto: *Visio est operatio animæ sensitivæ, quâ species rerum visibilium per medium diaphanum in oculum, & in specie tunicam ejus retiformem recipiuntur.* In omni definitione occurrunt duo consideranda: alterum est *definitum*, alterum *definitio strictè sic dicta.* Cum iis, quæ *definitum* concernunt, sc. *Etymologiâ*, *Synonymiâ*, & *Homonymiâ* hîc non multum negotii habebimus, cum non tam circa nomen, quam circa rem variant Autores, dubiaq; moveant: proinde indignum, immò etiam frustraneum foret, dum necessitas non stringit, diu circa corticem versari, cum nucem frangere liceat, nucleoq; frui sit concessum. Nam *illa* potiùs ad *Grammaticos* & *Lexicographos* spectant, quorum proprium est, ejusmodi terminos explicare: *hec* verò facilè exspirat, modo cætera attendantur, quæ in definitione posita. Hujus generis æquivoca est acceptio termini visionis, quando *Zabarella* lib. 1. de visu c. 1. eandem per aliquam analogiam & similitudinem adscribit intellectui, quod intueatur ac inspiciat suum



suum objectum, quando illud accuratè contemplatur: & *Macrob: lib. 1. in somn. scipion:* attribuit Phantasiæ Visionem, quando sibi aliquid imaginatur in somno. Scriptura Sacra etiam sæpissimè adscribit DEO visionem, quæ tamen non proprie, sed improprie ei competit, cum nullum habeat organon visus corporeum, quoniam est Substantia Spiritualis, quæ expers est omnis materiæ, corporeæq; molis: undè nec est explicanda more humano, sed potius divino, juxta Theologorum Axioma: *Multa dicuntur de Deo à Ἱερωποπαιδῶς, quæ tamen sunt intelligenda θεοῦ περὶ πῶς.* Has ambiguas usurpationes hîc locum non posse habere, unusquisq; animadvertit.

§. III.

Definitio strictè sic dicta, absolvitur conceptu contrahibili & contrahente. Illum hoc loco dicimus esse operationem animæ sensitivæ. Qui præcepta Logices tradunt, jubent, ut in definitionibus omne genus legitimum atq; adæquatam ex classe Categoriarum desumatur, quæ ideo proponuntur, ut ex iisdem genera depromantur. Jam in nostrâ definitione non opus est, ut demùm anxie disquiramus, ad quodnam prædicamentorum genus datum sit referendum: nam statim illud vel ex ipso termino innoscit, dum operationem animæ sensitivæ nuncupamus: hinc non incommodè genus hoc in prædicamento actionis collocabimus, secundum quod aliquid dicimur agere: uti secundum quantitatem dicitur aliquid quantum, e. gr. corpus magnum, parvum; secundum qualitatem dicitur aliquid quale, ut poculum aureum, mensa lignea. paries albus.

§. IV.

Postquam jam dictum est, operationem esse verum genus visionis, nunc exponenda erit causa, à quâ hæc actio proveniat. Hanc dicimus esse animam sensitivam, quod non intelligendum est, ac si hæc esset proximum agens, vel proxima causa hujus actionis, quæ immediate agat, vel influat ad Subjectum aliquid contemplandum, nec ullo alio adminiculo vel instrumento opus habeat in peragenda visione: Sed quod sit causa remota, & quidem principalis, quæ mediante alio instrumento hunc effectum producat, & in lucem edat. Anima enim cum sit causa & principium omnis sensationis, ut quod animal sentiat, gustet, audiat &c. idcirco & hæc in parte præ-

præstat, quod sui est muneris, & contemplantur objectum: ubicunq; illa invenit instrumentum aptè dispositum ad actionem perficiendam, ibi eandem terminat, præsentem hoc operatur: contra, quando illud ipsum abest operari non potest, illamq; actionem ad *animum* perducere. Sic cum in pede deficiat instrumentum visus, oculus, quo caput insignire voluit Natura, non potest suam actionem in effectum exercere, uti contra capiti deest organon ambulandi, quod pedibus propriè convenit: cum vero in capite invenit organon visus legitimè dispositum, non corruptum, efficit, ut animal possit objecta contemplari: nisi organon ambulationis ab extrinseco aliquo incommodo vel periculo impediatur, exercebit actum ambulandi, quod inter alia innuere voluit *B. Sennertus* in Epit. Nat. Scient. lib. 7. c. 1. *Quamvis anima secundum suam essentiam in toto corpore præsens sit, tamen nusquam sensus alicujus Autor est, nisi ubi habet organum: Et licet eadem animæ essentia, quæ est in oculo & aure, sit etiam in pede: tamen quia in pede, neq; videndi neq; audiendi, est instrumentum, in pede nec videt, nec audit.*

§. V.

Porro notanter dicimus, Genus Visionis esse *operationem animæ sensitivæ*, non solum animæ rationalis, ut indicentur Subjecta, in quibus fit visio, ne excludantur bruta, in quibus fit visio operante animâ sensitivâ: in hominibus vero operatur visionem anima rationalis, quæ longè excellentior est anima sensitivâ, & hujus vices gerit. Quod si hæc abfuerit, recipiuntur quidem in oculum Species, attamen visio fieri nequit: nam non statim, ubi est receptio specierum, visio quoq; adest, quod esset absurdum, aliàs specula, glacies, crystallus, gemmæ quædam, vitra, aquæ, aliq; corpora polira viderent, quoniam receptio est tantum passio, visio vero actio vitalis. Undè de Speculo Subtilitatum Pater *Scaliger* Exercitat. 298. dicit: *Si esset in speculo vis anima, Speculum videret: ita paries in camerâ obscurâ, imaginum forinsecus illatarum picturam recipit, non percipit.*

§. VI.

Vidimus hætenus conceptum contrahibilem, pergendum nunc erit ad conceptum contrahentem, seu differentiam specificam, quæ visio distinguitur à cæteris animæ sensitivæ operationibus, & de-

Sumitur (1) à modo, quo fiat visio. (2) à Subiecto, in quo fiat visio. (3) ab objecto, quod recipitur in oculo. (4) à medio, per quod transeat objectum.

§. VII.

Quemadmodum vero plerumq; accidit, ut verum sit illud Græcorum: *δύσκολα τὰ ἡλά:* difficilia quæ pulchra: ita & hic loci obtinet: gravissimæ enim ac intricatissimæ Autorum hæc de re sunt controversiæ, quilibet fermè suo sensu abundat, ac pro lubitu sentit, quicquid vult. Horum diversas sententias placet proferre brevissimis, ac postea veram sententiam subjungere, eamq; rationibus probatam dare: momenta illorum, ne brevitatis limites transgredi videamur, adducere supersedebimus.

§. VIII.

Quod igitur attinet I. Modum, de hoc varii variè sentiunt. Vetusissima est sententia eorum, qui statuunt, *visionem fieri per emissionem ex oculo*, qui quidem omnes in capite causæ conveniunt, differunt tamen in eo à se invicem, quod dubitent, quid emittatur. Sive: materiale omnes concedunt, quod emittatur aliquid: in formali discrepant, quid emittatur. Etenim alii referente *Plenio lib. 2. Ophthalmograph. c. 17.* contendebant, *Spiritum ad rem videndam efferi*, quorum Dux fuit *Chrysippus*, cum quo faciebant nonnulli ex *secta Stoicorum*. Alii non Spiritum, nec corpus aliquod, sed *ipsam dignoscentem vim ac facultatem ad res objectas transferri* clamitabant, non aliter, quam Magnes incorpoream quandam vim ex se fundit, quæ ferrum rapit, quod *aliis ex Stoicis* fuit proprium, vid. *Francis. Aquilon: lib. 1. Opt: Prop: 67.* Alii *aëris adjumento, ac quasi fulturâ vectione* visionem fieri dixerunt: verberatum enim aërem illum, qui pupillam contingit, *aspelli ad objectum, in quo fiat basis metæ, cuius fastigium sit in ipsâ pupillâ.* Alii putârunt, *effluere ex oculis radios*, quorum ope dijudicent objecta. *Galenus lib. 7. de decret: Hippocr: & Platon:* hanc sententiam attribuit Mathematicis, qui opticam profitentur. Aliis cum *Pythagorâ & Empedocle* (cujus versus Græcos hæc de re citat *Aristotel: lib: de sensu & sensili*) placuit, nos videre per luminis emissionem ad objectum, cuius reflexio fiat ad oculum, quemadmodum pilæ ad parietem impulsæ ad manum reditus. *Plato* statuit, lucem emicare ex oculis, quæ unâ cum lumi-

lumine externi aëris conjungitur, objectum quasi manibus prehendat, ipsumq; suo contactu visibile reddat, *Conimbricensis*: l. 2. de an. c: 7. quæst. 5. artic: 1. resultareq; ex illâ conjunctione & concursu passionem, quæ ad animam protinùs evolet, & ipsum intùs moveat: undè in *Timæo* hæc verba habet, quæ in latino idiomate ita sonant: *Itaq; cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atq; commixta, quæ oculorum acie diriguntur, ibi in unius jam domestici corporis coherent speciem; ubicunq; videlicet tam intimi, quam externi luminis sit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem, passionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur, motum huiusmodi ad corpus omne, perq; id ad animam usq; diffundens, sensum efficit, qui visus vocatur. At postquam in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius evanescit. Nam in aërem sibi dissimilem erumpens permutatur, atq; extinguitur, cum nullam habeat cum proximo aëre, utpotè ignis splendore carente naturæ communionem.*

§. IX.

Animadvertentes nonnulli ex Philosophis recensitam de emissionem sententiam calculum assensus non mereri, de aliâ & meliori, prout ipsi putabant, fuerunt solliciti, concesseruntq; quidem emissionem, attamen non solam, sed simul cum iteratâ receptione radiorum in oculum conjunctam, i. e. *συνάγνεϊα* s. coagentiam defendebant, inter oculum & objectum, quod utrumq; simul ageret, ille emittendo, hoc reflectendo lumen seu radios, qui sibi occurrant, & se mutuis qualitatibus alterent. Huic sententiæ favet *Alhazen* lib: 1. num: 24. & à nonnullis tribuitur *Galeno*, quem tamen absolvere conatur ab hoc errore *Aquilon*: lib: 1. Propos. 68. ubi post alia: *quam sententiam, inquit, ed maxime complexi sunt, quod eam Galeni esse existimarint. Verum hi mentem Galeni non sunt assecuti. Etsi enim ille Spiritum à cerebro ad universum oculum derivari, ejusq; vim in vicinum usq; aërem efferi millies dixerit, hoc tamen etiam disertè asserit, fulgorem quidem, qui à Spiritu manat, longè latèq; per omnem circumfusum aërem diffundi, & si ipse Spiritus septa oculi minime prætergrediatur. Non multùm hinc recedit *Vallesius*, dum visionem fieri asserit, lib: 2. Medic: controvers: c: 1. per emissionem alicujus ab objecto in potentiam, atq; etiam à potentia in objectum, ita tamen, ut prius objectum emittat à se speciem in potentiam, potentia vero recepta*

cepta in se specie emittat à se Spiritum visorium, videndi facultate præditum, quo Spiritu attingente objectum fit visio, non in oculo, sed in medio, ubi Spiritus attingit objectum, in quâ attingentia consistere dicit visionem. vid. Anton. Ruyio in lib: 2. Aristot. de anim: Tract: de sensu visus quæst. 7. p. 207.

§. X.

Utraq; tamen sententia allegarajam dudum ex Scholis Aristotelicorum ejecta est, & explosa, postquam observarunt ejus absurditatem & crudelitatem *Aristoteles*, & *Sectatores* ejus. Non igitur est, quod quis nobis illud obvertat, quando *Aristoteles* in nonnullis locis & in specie lib: 2. de cælo & mund. text: 49. dicit: ἄδὲν διαφύγει κινεῖν τὴν ὄψιν, ἢ τὸ ὀρώμενον: nihil interest, visus an id, quod cernitur, moveatur: ubi videtur inclinare in hanc partem, visionem fieri per emissionem radiorum. Sed ad hoc nos Ruyio, eum non tam ex sua & propria sententia ibidem locutum esse, quam ex alienâ & communi, quæ tum temporis fuit recepta inter Opticos, undè nec certi aliquid definire voluisse.

§. XI.

Missis hiscè falsis opinionibus, meritò amplectimur sententiam Aristotelis aliorumq; accuratiorum Philosophorum, ac dicimus, visionem fieri solâ receptione, quando sc. objectū à se spargit radios, sui que Species, oculus noster illos recipit. Hanc probamus: (1) quia visio est actio, uti superius probatum: omnis vero actio est vel immanens, vel transiens, visio non est posterioris generis, quæ definitur, quod ab agente quasi transeat in rem aliam seu in aliam materiam, in quâ effectum suum producit, & vim suam exerit in alio. Sic quando Sartor vestes componit, ibi non manet hæc actio in eodem agente, seu subjecto, sed transit in rem aliam, in quâ effectum suum producit, sc. in vestem. Sic calefactio ignis, fluit & transit de igne in aquam vel aërem. Hoc modo se visio non habet: sed est actio immanens, quæ manet in eodem subjecto, à quo fuit excitata. Sic quando videmus arbores, plantas, animalia, visio non fit in ipsis arboribus, sed in oculo: aliàs fieret visio extra suum subjectum, quod est absurdum, quoniam visio est accidens: aut nullum accidens potest existere nisi in subjecto: non fieret ibi, ubi anima & facultas, quæ videt, sed ibi, ubi res est, seu objectum, quod videtur: quia nullus sensus extra suam spheram agit. (2) quia nullus cæterorum sensuum

suum sive sit externus, sive internus fit per emissionem, quod aliquid
 ex se emittat, sed omnes fiunt per receptionem, recipiendo Speciem
 objecti. Ita nihil emittit auris, ut percipiat sonum campanarum, toni-
 truum, buccinarum, sed illam speciem recipit, quam hæc à se diffun-
 dunt in nubibus, vel in aëre: nec olfactus, ut percipiat species s. odo-
 ris suavissimi rosarum vel liliorum, sive fœtoris putridi alicujus ca-
 daveris: nec gustus & tactus, quorum ille species saporis beneficio
 lingvæ, hic qualitatium tactilium beneficio membranæ recipit; nec
 deniq; intellectus, qui species intelligibiles recipit. Ergo & visus
 non erit ignobilioris conditionis, quam cœteri sensus, sed conveniet
 cum ipsis in hoc tertio: Similium enim similis est ratio. (3) quia nul-
 la alia causa dari poterit, quare oculus lædatur, cum ipsi obvertitur
 excellens aliquid visibile, quod fieri sapissimè experimur, nisi de-
 fendere velimus, specierum, quæ ab objectis sparguntur, recepti-
 onem. Quomodo enim ejusmodi oculo, quem non tangit species
 ab eo exiliens, nocere posset? Quâ ratione detrimentum capere po-
 test visus, utpote qui nihil pateretur, quin potius ageret in corpus op-
 positum beneficio radiorum vel Spirituum: ast contrarium magis
 veritati congruit, quod & quotidiana comprobatur experientia, orga-
 num visus ab excellentibus visibilibus, qualia sunt radii Solares, ful-
 getri fulgor, & quorundam colorum claritas non leviter debilitari
 ac corrumpi, immò quod magis admirandum videtur, tanta est ho-
 rum vis ac efficacia, ut planè possint homines excœcare, visuq; spo-
 liare, uti de *Regulo Duce Romanorum* memorat aureum illud Elo-
 quentiæ flumen *Cicero* in *Pisone*, quod excœcatus fuerit hoc modò
 à *Carthaginensibus*. De *Democrito* narrat *Gellius*, quod sibi clypeo
 æreo contra Solem posito, radiis repercussis oculorum aciem ad-
 emerit, ut naturæ secreta subtilius rimaretur. Pari modo eos, qui
 ex densâ caligine carceris in domum clarissimam jussu *D. onysii* *Sici-*
liæ Tyranni, calce splendidissimâ illitam educerentur, hujus aspectu
 occœcatos legimus. Neq; hoc soli accidit visui, quod visibilia per
 se splendida ipsum offendant, sed & cœteri sensus ab excellentibus
 sensibilibus corrumpi solent: læduntur enim aures vehementiore
Bombardæ sonitu; læditur Lingva absinthii vel aloës amarore: læduntur
 nares a se fœtore: læditur tactus summo calore, ac nimio frigore. Causa,
 quia in mediocritate consistit sensus omnis. vid. *B. Sperling*: loc: cit: libr:

8. cap: 3. quæst: 3. Nolumus prætereà multis urgere, quòd in hoc passu eadem sit ratio, quæ in aqua, speculo, vel alio corpore polito, nihil quidem ibi videmus egredi, videmus tamen ibi apparere species corporum ex opposito objectorum: quod omnis sensus sit, ubi est ejus organum: visus vero Organum est in oculo: Ergo & ejus sensus non erit extra eundem: quod non opus fuisset tanto artificio in oculo, si non futura ibi fuisset receptio, cum & nervus hoc officium ignobiliori dato organo perficere potuisset &c. Quoad modos allegatos in præcedentibus notamus tantùm verba *B. Rhodii*, (prolixiores enim nos esse, non permittit angustia chartæ) quæ habet lib: 1. Optic: Prop: 42. *Quod si emitti aliquid admitteremus, quid quæso id erit? Si enim animatum, annon animabitur & medium? si inanimatum, nihil omninò conferet visui. Si corporeum, oculum exiguo absumi tempore necessum foret: Si incorporeum, oculis ceu loco contineri, aut inde moveri esset ineptum. Aut sanè quicquid illorum vel aliorum esset, extra se agens visus operationis fructum nullum intra se reciperet, nec actio illa esset immanens. Vel quomodo visibile excellens destruet sensum? Quomodo humidioris naturæ oculi semper majora conspiciunt objecta, quam sunt?*

§. XII.

II. *Subiectum.* Quanquam hodiè ex viris doctoribus nemo sit, qui de modo visionis amplius disputet, & emissioni faveat, sed omnes unanimi consensu pugnent pro receptione, attamen adhuc inter illos non levis est lis de Subjecto primario, in quo fiat, visio, seu de organo proximo ac immediato, quo anima utatur ad receptionem. Sicut enim cæterorum sensuum unusquisq; sibi proprium postulat sensorium: ita nec visus eodem carere potest, quod tamen ei nonnulli denegant. Quidam volunt, *Cerebrum esse Organum visionis.* Sed hi nesciunt discrimen inter sensorium universale s. commune, & particulare seu singulare. Concedimus quidem ambabus, quod dicitur, manibus, cerebrum esse sensorium visionis, verum illud non est soli visui proprium seu particulare, sed omnibus sensibus commune, quoniam illis communicat Spiritus animales, qui in ejus substantiâ elaborantur, ac generantur *Baubin.*
Ana-

Anatom: lib: 3. c. 15. tales vero operationes, quæ uni vel alteri ho-
rum propriæ sunt, cerebro adscribi nequeunt, quas nec peragere po-
rest. Sic non audit species verborum colloquentium, sed auris, nec
gustat res sapidas, sed lingua, nec suscipit odorum species, sed nasus
vel processus mammillares, nec tangit panem, sed membrana, nec
videt species coloris ac lucis, sed oculus. Cum his utramq; pagi-
nam faciunt *Avicenna* lib: 6. natural: Part: 3. c: 8. *Alhazen* lib. 1. num: 25.
Vitello lib: 3. perspect: propos: 20. & alii, qui simili modo, visionem
non fieri in oculo, sed *potentiam visivam residere in conjunctione duorum*
*nervorum optico-
rum*, ad quam, ubi pervenerit forma visibilis recepta
in humore crystallino, visionem absolvi dicunt. Fundamentum
eorum potissimum hoc est, quod omnis species ab objecto sparsa
duobus videatur oculis. Si nunc in oculo compleretur visio, una
res duplex appareret, non tantum in uno; sed & in altero oculo.
Ast hoc non fit. Ergo demùm visio absolvitur in conjunctione du-
orum nervorum optico-
rum. Ex quo nunc sequitur universalis conjun-
ctio horum duorum nervorum in omnib, hominib, , secus si accidat,
quod non reperiarur, ex mente eorum, vel omnino nihil, quia ibi
residet potentia visiva, & sic absente hâc conjunctione, potentia vi-
siva quoq; aberit, vel omnia gemina videbit: ubi quidem nolumus
affirmare, quod planè impossibilis sit conjunctio nervorum optico-
rum, universalitatem tamen ejus infringit experientia Anatomicae
artis, quod nonnunquam hi duo nervi non jungantur, sed à cere-
bro ad oculos usq; divisi procedant, uti clarissimum exemplum pro-
fert *Andr. Vesalius* lib: 4. de fabric: corp: hum: cap: 4. qui Petavii
hominem dissecuit, in quo nulla adfuit conjunctio nervorum optico-
rum, visui tamen viventis, nihil quicquam decedebat, sed omnia
benè simpliciaq; cæterorum more videre solitus est.

§. XIII.

Propiùs ad rem accedere videntur, qui *potentiam visivam* collo-
cant *in oculo*, non in toto, sed aliquâ ejus parte. Quenam vero hæc ipsa
sit, mirum in modum fluctuant, aliis pugnantis pro *superficie oculi*,
ut *Democritus*, aliis pro *humore*, aliis pro *tunicis*, quarum tres sunt con-
troversæ, *Arachnoides*, quam *Galenus* defendit, vid. *Laurent: lib: 11.*

cap: 1. *Aranea, Aquilon*. lib: 1. *Optic*: prop: 27. & *Retina*, de quâ postea. Plurimi & celeberrimi Viri in eam transcendunt sententiam, ut dicant: *præcipuum ac principale Organum visus esse humorem crystallinum*. Ita *Aristot*: lib: 1. *Histor: animal*: cap: 9. lib: de sensu & sensil: cap: 2. lib: 5. de generat: animal: cap: 2. *Galen*: l: 8. de usu partium cap: 6. *Conimbr*: lib: 2. de an. c: 7. q. 7. *Ruvio* loc: cit. de sens. visus c: 7. q. 8. *Bernard: Morisan*: disp: 2. ad libr. *Aristot*: de an: qv. 7. *Keckerman*: *Syst: Phys*: libr: 3. c: 20. *Job. Magir*. in comm. *Phys*: l. 6. c: 7. p: 517.

§. XIV.

Enim vero, cum nonnulla obstant, quæ nobis dubium moveant circa humorem crystallinum, quo minus ille possit dici subiectum visus, hæc in parte à communissimâ sententiâ paulisper recedemus, præprimis, quoniam hîc nobis investigandum est Subiectum ultimatam & proximum visionis, non intermedium & remotum. Quod si sermo fuerit tantum de subiecto intermedio, ipsâ lubentiâ lubentiùs largimur, illud posse humorem crystallinum dici, per quem transeant radii visivi; ast si de subiecto proximo quærat, in quo ultimatò terminetur visio, nequaquam possumus humorem crystallinum pro tali agnoscere, cum non sit capax recipiendi objectorum species, quia ipsas transparenere concedit, adeòque nec compleri in eo visio potest. Primarium quidem medium est visionis, non primarium Subiectum. Verum ergo & adæquatum visionis Subiectum pronunciamus esse *Retinam*, seu *Tunicam retiformem*, vel *reticularem*, uti communiter solet vocari, quanquam *Galenus* 10. us. part. 2. & 8. us. part. 2. & post eum *Aquapendens*, *Casp. Hoffmann*: & *Bauhinus* abhorreant à nomine tunicæ, quod falsò ita cognominetur. Hinc *Bauhin*: *Anat*: lib: 3. c: 40. scribit: *Retina, nec substantia, nec colore membrana, nec membranæ, seu tunicæ nomen meretur: nam si ab utroq; humore separatam eximeris & seposueris, & in unum acervum conjeceris, videbitur tibi cerebri portio quædam exempta & dilatata*. Nomen retinæ accepit à figura, quod reti parvo sit similis. Constat hæc ex innumeris venulis, quæ originem ducunt, & protrahuntur à nervo optico, qui proximè cohæret cum ipso cerebro, per quas Spiritus animales de-

les deferuntur ad ipsum oculum. Sine horum enim auxilio visus non potest unum præ altero discernere. Ast tales venulæ in nulla aliâ parte oculi, & in tantâ copiâ conspiciuntur. Ergo. Præterea communiter oculus comparari solet cum speculo: uti speculum est oculus artis, ita oculus est speculum naturæ. Ast in speculo repræsentantur species. Ergo & in oculo. In tali Subjecto, ubi species repræsentari debent, ante omnia necessum est, ut adsit debita opacitas, non sufficit nuda ac sola pelluciditas, quo species in illud delapsæ possint sisti, nec transpareant. Jam in speculo adest insignis opacitas, quam causat argentum vivum ab altera parte illitum, quod facit, ut species in eo sistantur, aliàs enim absente hoc, non possunt recipi, quia omne simplex vitrum in se est pellucidum, nec aliquid repræsentare potest, uti rectissimè loquitur Adr: Heereboord: Coll: Phys: Disp: 12. Thes: 48. *Repræsentatio rei in speculo non fit in vitro: quia hoc species transmitteret, sed in argento vivo, quod species sistit, undè argento vivo ablato, nulla fit rerum repræsentatio in speculo.* Similiter & in oculo se res habet, nec ibi visio fieri potest in parte merè pellucidâ, cum in eâ species visibiles non figantur, qualis est humor crystallinus, qui uti est clarissimus & purissimus, ita species transmittit: sensorium enim visus suscipit species visibiles per medium non transeuntis, sed immanentis, impeditq; ne alibi transeant: sed in ea, quæ minori cum perspicuitate majorem habeat permixtam opacitatem, qualis est retina, quæ eas hoc modo recipit, cum ultra retinam radii visibiles non excurrant, sed in eâ sistantur. Humor crystallinus haud absimilis esse videtur vitro foramini in camerâ obscurâ opposito, per quod species externæ in eandem transmittuntur, quæ ibi sisti nequeunt, ut videantur, sed in tabula vel chartâ albâ repræsentantur: idem facit & humor crystallinus, species visibiles colligit & admittit in retinam, ubi propter opacitatem ulterius transperere nequeunt, & sic imprimuntur ac exprimuntur.

§. XV.

III. *Objectum.* Non audiendi hîc sunt Democritus, Leucippus & Epicurus, qui tradunt, *ab objectis corporeum aliquid resolvi & ad oculos efferi.* Ast quidnam illud aliquid corporeum, quod egreditur

tur ab objecto visibili. Nonne est particula ab ipsa substantia objecti emanans, à quo, si hujusmodi plures resolutæ fuerint, non est probabile, admodum diu saluum atqve integrum persistere posse objectum, quin tandem tota substantia destruat ac consumatur. E. gr. ponam nunc corpus aliquod centum vel mille homines simul intueri, ad singulos horum aliquid corporei redire, utiqve facile tota substantia hujus resolveretur ac in nihilum redigeretur. Taceo alia absurda concomitantia hanc opinionem, ut, quod repelleretur à vento adverso, quod non posset per magnum intervallum effundi, & alia. vid. *Piccolom:* lib: de vis. c: 17. p: 1649. Et si vel maximè concederemus, effluere ab objecto quid corporeum, hoc tamen non potest pervenire ad oculum, quia est materiale, cujus generis etiam est oculus; impossibilis vero est penetratio dimensionum. Sperling: l. c: lib: 1. c: 2. q: 2.

§. XVI.

Multominus ipsa corpora realia, & materialia ingrediuntur oculum, ut videri queant, quoniam aliàs ad minimum omne corpus visibile duplex existeret, unum quod in oculo, alterum quod in alio certo loco existeret, adeoque pro numero Hominum aspectantium vel triplex, vel quadruplex esset, cum tamen revera non nisi unicum existat. Sicuti vero omnis sensatio fit per species ab objecto per medium in sensorium diffusas, unientes objectum cum sensu, ita quoq; eodem modo se habere visionem quis est, qui dubitet? Varii variis has insigniunt nominibus, nihil tamen refert, siue eas voces imagines, idola, simulachra, spectra, formas, species visibiles, species spirituales, species intentionales, qualitates intentionales, qualitates spirituales &c. Non curamus adeò discrimen nominale, modo in re conveniamus. Jam quando visionem supra ab animâ promanare diximus, quæ non est Ens aliquod materiatum & corporeum, sed substantia immaterialis, incorporea & spiritualis, hinc clarissimum evadit, quod nec ipsa possit recipere sibi contrarium, sc. corporeum quid, & materiatum, cum perpetuò detur proportio inter id, quod recipit, & quod recipitur. Harum Specierum existentiam qui negare velit, manifestissimæ experientiæ ut contradicat, habet necesse.

cesse. Qvis enim juxta cum ignarissimis nescit, quid accidat exspatiantibus die sereno prope aquam vel litus, vident illi speciem tantum sui in aquis. Sol ferme quotidie in nostris apparet oculis, non tamen ipsum corpus Solis, sed ejus Species. Cum quis tempore aestivo sub viridi arbore recubat, Oculi, totaque facies & vestes ejus viridi quasi colore imbuuntur & impinguntur, ubi non realis, sed intentionalis tantum color adest.

§. XVII.

IV. *Medium.* Hoc conjungere debet objecta & organon visus. Non enim sufficit, ut objectum immediate apponatur oculo, ei que quasi affigatur, sed requiritur, ut intercedat Spatium intersensibile & sensorium, quod nisi fiat, visio impossibiliter fieri potest. Sic si quis veller, corpus quoddam contemplari, idque immediate tangat oculi pupillam, nihil videbit. Qui legere desiderat ea, quae continentur in scripto vel libro quodam, amovet librum per certum intervallum ab oculo, contra si secus fecerit, & admoveat nimis librum oculo, praestare hoc ipsum haud potest. Quod essentiam medii attinet, non dicimus cum *Democrito*, quod illud debeat esse *vacuum*, nec inter caelum & terram intercedere corpus aliquod intermedium, ut formicam vel muscam in caelo harentem videre possimus, quem tamen solidissime refutat *Aristoteles*: 2. de An. c: 7. text: 74. nec *opacum* & *densum*, quoniam per ejusmodi speciebus nullus patet transitus, quin potius in illo terminarentur: sed *διαφανές*, uti id Graeci nominant, Latini perspicuum, translucidum, transparens, pellucidum. Haec de re ita *B. Rhodius Opt:* Cum visibilia moveant visum, eumque excitent non tantum ex intervallo exiguo, sed etiam satis longinquo, committantibus per illud intervallum, ceu per medium quoddam ad excludendum vacuum in naturam introductum, speciebus visibilibus ad oculum, debuit omnino medium illud inter visibilia & oculos, ne specierum effluxioni esset impedimento, perspicuum esse & pellucidum. Perspicuorum corporum quatuor facit classes *Alsted:* loc: cit: cap: 8. Prima classis est caelum, per quod radii stellarum libere transeunt. Et hoc inter corpora perspicua est omnium primum & subtilissimum. In secunda classe est aer, qui propter λεπτομεγείαν subtilissimamque partium tenuitatem non radiat, aut certe non efficaciter, unde nec oculos lacescit. Interim aer videri potest colore alieno. In tertia classe est aqua

est aqua, limpida sc. quæ proximum ab aëre locum obtinet. In quartâ classe sunt reliqua perspicua, quæ sunt compacta: ut lapis specularis, vitrum, crystallus, glacies, alumen, cornu, gemmæ quædam, humores deniq; & tunice, è quibus oculus est contextus. Medium igitur aptissimum visionis optime vocemus aërem, qui multò purior est aquâ, objectaque visui exactius ac melius contemplanda permittit; quod si enim projicias in aquâ thalerum, species eque ejus per aquam, ut per medium videri poterit, attamen propter refractionem, quam in aquâ patitur, apparet major ac in se est. *Keckermann: Syst: Phys: lib: 3. cap: 20.*

§. XVIII.

Et hinc patet, necessariò requiri ad visum *distantiam objecti ab organo.* Quanta vero illa sit, exactè definiri vel determinari non potest, cum eadem pro quantitate & pro qualitate corporum variet, & vel major, vel minor esse contingat: major, quando visus versatur circa objectum ingentis alicujus molis & magnitudinis, vel vehementer lucidum: minor, quando idem fertur in minus, vel quod non ita lucidum est: verissimum tamen est, omne objectum habere in se quandam propriam distantiam, spatiiq; longitudinem, uti rectè monet *Vitello lib. 4. perspect: prop: 8.* ultra quod non videtur. Omnis enim visio fit in modum Pyramidis, cujus basis sit in objecto, vertex in oculo. Quo remotius vero objectum est, eo longius lineas pyramidales ab eodem protrahi erit necesse ad oculum, ut ita eò acutior fiat angulus verticalis, proindè nec adeò exactè & certò videri poterit objectum. Contra quod si hoc sit propinquius, lineæ non protrahentur è tam longinquo spatio, neq; angulum acutum, sed obtusum constituent, ipsumq; objectum eò accuratiùs sub aspectum cadet.

§. XIX.

Explicata nunc definitione visionis, ad divisionem accedendum esset, ubi saltem paucis notamus, visionem non dividi respectu sui ipsius, sed saltem respectu radii visualis: quando enim hic est simplex, visio quoque erit simplex, quando compositus, visio nascitur composita: qui vel reflexus, constituens visionem reflexam, vel refractus, refractam gignens visionem, vid. *Alsted: Encycl.*

Opt. P. 2. c. 4. r. 2. p: 1189. a.

T A N T U M.

05 A 2270

ULB Halle 3
003 783 731




VD 17

sch








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



B. V.

ONE

nt publicè
SES

CUS POLARÉ

NDENS

BARTHEN

v. Siles.

nbr. Anni 1670.

omerid:

rio Veteri.

LIS MEYERI,

57

